

Adhuc autem eo loquente turbis, ecce mater eius et fratres stabant extra, querentes ei loqui. Dixit autem quidam ei. Ecce mater tua et fratres tui extra stant, querentes tibi loqui. Ipse autem respondens dixit ei, qui dixerat. Quis est mater mea et fratres mei? et extendens manum suam super discipulos dixit. Ecce mater mea et fratres mei.

Commented [ND1]: [fol.148rb]

Quod ante dixi, quoniam uirtute absente omnia sunt superflua, hoc et nunc cum multa ostendit superhabundantia. Ego enim dixi, quoniam et aetas et natura et heremum habitare, et quaecumque talia sunt, inutilia sunt consilio non existente bono, hodie autem et plus aliud aliquid discimus, quoniam neque concipere christum, neque mirabilem illum foetum parere, habet aliquam utilitatem, uirtute non existente, et hoc maxime hinc est manifestum. Adhuc enim eo loquente turbis ait, dixit ei, quoniam mater tua et fratres tui querunt te. Ipse autem dixit, quae est? Haec autem dixit, non confusus de matre, neque negans eam quae genuit. Si enim uerecundaretur, neque transisset per matricem illam, sed ostendens quoniam nulla utilitas ei huius, si non uniuersa quae oportet, fecerit. Etenim quod temptauit, superflui honoris erat dilectio. Volebat enim monstrare plebi, quoniam tenet et auctoritatem habet apud filium, nichil nondum de ipso imaginata magnum. Ideoque intemperate adiuit. Vide itaque et eius et illorum elationem, cum deceret enim ingredientibus audire cum turba uel non hoc uolentes expectare dissoluere sermonem, et tunc adire hii extra uocant eum, et ante omnes hoc faciunt, superfluum honoris dilictionem ostendentes, et monstrare uolentes quoniam cum omni ei iniungunt potestate. Quod et euangelista ostendit incusans, hoc enim ipsum enigmatice insinuans, ita dixit. Adhuc eo loquente turbis. Ac si diceret, numquid enim non erat tempus aliud, numquid enim non erat singulariter loqui. Quid autem et loqui uolebant? Si enim pro ueritatis dogmatibus communiter haec proponere oportebat, ut et alii lucrarentur. Si autem de aliis sibiipsis pertinentibus non oportebat ita festinanter uocare. Si enim patrem sepelire non dimisit, ut non impediatur eius secutio, multo magis eius orationem dissoluere non oportebat pro his quae nichil eis attingebant. Vnde manifestum quoniam uana gloria hoc solum faciebant. Quod et iohannes ostendens dixit, quoniam neque fratres eius credebant in eum, sed et uerba eorum annuntiat multa plena amentia dicens, quoniam attrahebant eum in hierosolimam. Propter aliud quidem nichil, ut autem ipsi gloriam a signis illius fructificarent. Si enim hec facis ait, ostende te ipsum mundo. Nullus enim aliquid facit in occulto, et querit ipse manifestus esse quando et ipse eos increpauit carnale eorum causans consilium. Quia enim iudei exprobrabant et dicebant, nonne hic est tectoris filius, cuius nos noscimus patrem et matrem et fratres eius, nonne apud nos sunt uilitatem quae est a genere, uolentes impropere ad signorum ostentationem eum uocabant, propter hoc eos increpat passionem eorum uolens sanare. Quia si negare uellet matrem, quando illi exprobrabant, tunc utique negasset. Nunc autem uidetur tantam eius faciens prouidentiam, ut et in ipsa cruce omnium maxime dilecto discipulo commendasset eam, et multa postea inuestigasset, sed non nunc hos facit, procurans eam et fratres. Quia enim sicut hominem attendebant nudum, et uane gloriabantur, egritudinem expellit non conuictans, sed corrigens. Tu autem michi non uerba scrutare solum increpationem habentia moderatam, sed et inconuenientiam et audaciam fratrum quam facere ausi sunt, et eum qui increpabat quis erat, quoniam non nudus homo, sed unigenitus

Commented [ND2]: [fol.148va]

Commented [ND3]: quedam add. super lin.

Commented [ND4]: uel confundens matrem add. super lin.

Commented [ND5]: uel peperit add. super lin.

Commented [ND6]: matris add. super lin.

Commented [ND7]: locutionem add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.148vb]

Commented [ND9]: uel adipiscerentur add. super lin.

filius dei, et quid uolens increpabat. Neque enim aporiare uolens, sed eruere a passione maximam habente tyrannidem et paulatim indecentem de ipso cogitationem inducere et suadere, quoniam non filius eius est solum, sed et dominator, et uidebis ualde decentem et ipsi hanc increpationem et illi expedientem, et cum his multam et mansuetudinem habentem. Neque enim dixit uade dic matri, quoniam non est mea mater, sed ad eum qui dixit extendit sermonem dicens. Quae est mater mea? Cum his quae dicta sunt, et aliud quid instruens, quale utique est hoc? neque illos, neque alios in nulla cognatione confidentes, uirtutem negligere. Si enim huic nichil prodest matrem esse, nisi illud esset, uix utique alius aliquis a cognatione saluabitur. Vna enim est nobilitas sola uoluntatem dei facere. Hic nobilitatis est modus melior illo et principalior. Haec igitur scientes, neque in filiis approbatis magnum sapiamus, nisi uirtutem ipsam habeamus, neque in patribus nobilibus, nisi fuerimus ipsis unimodi. Est enim et eum qui generauit, non esse patrem et eum qui non genuit esse. Propter hoc et alio muliere quadam dicente, beatus uenter qui te portauit et ubera quae suxisti, non dixit non portauit me uenter neque ubera suxi, sed hoc solum beati qui faciunt uoluntatem patris mei. Vides superius et inferius non negat cognationem quae est secundum naturam, sed adiungit eam quae est secundum uirtutem, sed et precursor dicens, genimina uiperarum, ne estimetis dicere patrem habemus abraham, non hoc ostendit, quoniam non erant ex abraham secundum naturam, sed quoniam nichil eis prodest esse ex abraham, nisi cognationem quae est a moribus habuerint. Quod et christus ostendens dixit, si filii abraham essetis, opera abraham faceretis, non cognatione quae est secundum carnem eos priuans, sed erudiens maiorem hac et principaliorem inquirere. Hoc utique et hic instruit, sed minus honerose et suauius. Etenim ad matrem erat sermo ei. Neque enim dixit, non est mea mater neque fratres illi, quia non faciunt uoluntatem meam, neque pronuntiauit, neque condempnauit, sed adhuc dominos eos fecit uolendi, cum decenti eum mansuetudine loquens. Qui enim facit, ait uoluntatem patris mei, hic meus frater et soror et mater est. Quare si uolunt esse, hanc ambulent uiam. Sed et cum clamasset mulier dicens, beatus uenter qui te portauit, non dixit, non est mea mater, sed si uult beata esse uoluntatem faciat patris mei. Qui enim talis est et frater et soror et mater est. Pape de honore, pape de uirtute, in quantum adducit uerticem eum, qui uadit post eam. Quantae mulieres beatificauerunt sanctam uirginem illam et uuluam, et orauerunt tales effici matres et omnia dimittere. Quid igitur est quod prohibeat? Ecce enim latam constituit nobis uiam, et licet non mulieribus solum, sed et uiris in tali effici ordine. Magis autem et adhuc multo maiori. Hoc enim multo magis matrem facit quam pressurae illae, quare si beatificabile est illud, multo magis hoc quanto et principalius est. Ne ergo simpliciter concupiscas, sed et uiam quae fert te ad hanc concupiscentiam ambula cum multo studio. Haec igitur dicens exiuit de domo. Vides qualiter et increpauit, et fecit quodcumque cupiebant? quod utique et in nuptiis facit. Etenim illic et increpauit intemperate petentes, et tamen non contradixit. In priori quidem corrigens imbecillitatem. In secundo autem bonam uoluntatem quae erat ad matrem ostendens. Ita utique et hic et uanae gloriae egritudinem sanauit, et decentem honorem matri reddidit, quamuis et intemperate petenti. In die enim illa ait exiens ihesus de domo, sedebat secus mare. Si enim uultis ait uidere et audire, ecce egredior et alloquor. Quia enim signa multa fecit, rursus utilitatem quae est ex doctrina prebet. Et sedit secus mare piscaturus, et sagena capturus eos qui sunt in terra. Sedit autem secus mare non simpliciter, et hoc ipsum posuit enigmaticè insinuans euangelista. Vt monstret, quoniam uolens cum diligentia statuere spectaculum hoc fecit, et nullum post dorsum dimittat, sed omnes coram facie habeat. Et congregatae sunt, ait ad eum turbae multae, ut ipse in nauigium cum intrasset sederet. Et omnis turba superlitis stabat. Sedens autem illic per parabolas loquaebatur. Et locutus est eis ait multa in parabolis. Quamuis in monte non ita fecit, neque per tantas parabolas sermonem subtexit. Tunc enim turbae solae erant et

**Commented [ND10]:** marie *add. super lin.*

**Commented [ND11]:** christo *add. super lin.*

**Commented [ND12]:** id est matri *add. super lin.*

**Commented [ND13]:** id est *add. super lin.*

**Commented [ND14]:** matri *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** [fol.149ra]

**Commented [ND16]:** id est eiusdem *add. super lin.*

**Commented [ND17]:** uel uideamini *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** [fol.149rb]

**Commented [ND19]:** uel partus *add. super lin.*

**Commented [ND20]:** uel beatificandum *add. super lin.*

plebs incompressa. Hic autem et scribae et pharisei. Tu autem michi intende qualem primam dicit parabolam, et qualiter secundum consequentiam eas ponit matheus. Qualem igitur primam dicit? Quam maxime primam oportebat dicere, eam quae faciebat auditorem attentorem. Quia enim enigmatica erat disputaturus, erigit mentem audientium primum per parabolam. Propter hoc et alius euangelista ait, quoniam increpauit eos, quoniam non intelligunt dicens, qualiter non cognouistis parabolam? non propter hoc autem solum in parabolis loquitur, sed ut et manifestiorem sermonem faciat, et ampliorem memoriam imponat, et sub uisu res deducat. Ita et prophetae faciunt. Quae igitur est parabola? ecce exiit qui seminat, ut seminet ait. Vnde exiit, qui ubique presens est? uel qualiter exiit? non loco, sed habitudine et dispensatione quae est ad nos, propior nobis factus per amictum qui est secundum carnem. Quia enim nos intrare non poteramus peccatis inhihentibus nobis ingressum, ipse egreditur ad nos. Et quid exiit perdere terram spinis plenam? punire agricolam? nequaquam, sed agriculturam facere, et diligentiam habere et seminare pietatis sermonem. Semen enim hic doctrinam ait, aream autem hominum animas, seminatore autem seipsum. Quid igitur fit de semine isto? tres deperunt partes, et una saluatur. Et in seminando eum quaedam quidem ceciderunt ait secus uiam, et uenerunt uolucres et comederunt ea, non dixit, quoniam ipse proiecit, sed quoniam ceciderunt. Quaedam autem super petram, ubi non habebant terram multam, et confestim exorta sunt, quia non habebant profundum terrae. Sole autem oriente estuauerunt, et quia non habebant radicem siccata sunt. Quaedam autem inter spinas, et ascenderunt spinas et suffocauerunt ea. Quaedam autem in terram bonam, et dederunt fructum. Hoc quidem centum, hoc autem sexaginta, hoc autem triginta. Qui habet aures audiendi audiat. Quarta pars saluata est, et neque haec aequaliter, sed et hic multa est differentia. Haec autem dixit, ostendens quoniam cum copiositate omnibus loquebatur. Quemadmodum enim qui seminat, non diuidit subiectam aream, sed simpliciter et sine diuidicatione mittit semina, ita et ipse non diuitem, non pauperem diuidit, non sapientem, non insipientem, non desidem, non studiosum, non fortem, non timidum, sed omnibus loquebatur quae a seipso erant complens, quamuis preuidens quae futura erant, ut liceat ei dicere, quid me oportet facere et non feci? et prophetae quidem ut de uinea locuntur plebi. Vineam enim facta est ait dilecto, et uineam de egypto transtulit, ipse autem ut de semine. Quid utique ostendetis? quoniam uelox erit nunc oboedientia, et facilius et confestim fructum dabit. Cum autem audieris quoniam exiit qui seminat ut seminet, ne tautologiam esse estimes. Egreditur enim multoties qui seminat, et ad aliam rem uelut renouet, uel ut perniciosas incidat herbas, uel ut spinas euellet, uel ut aliam quandam talem diligentiam exhibeat. Ipse autem ad seminandum exiit. Vnde igitur dic michi est quod plus seminis perit? non ab eo qui seminauit, sed a suscipiente terra, hoc est ab anima quae non audiuit. Et qua de causa non dicit, quoniam haec quidem susceperunt desides et perdiderunt, haec autem diuites et suffocauerunt, haec autem molles et perdiderunt. Non uult eos uehementer tangere, ut non indiffidentiam immittat, sed derelinquit conscientiae audientium redargutionem. Non semen autem hoc passum est solum, sed et sagena. Multa enim et illa attulit inutilia, hanc autem dicit parabolam, discipulos erigens et erudiens, etsi plures suscipientium sermonem fuerint qui pereunt, non desides esse. Etenim et in dominatore hoc factum est, et qui haec omnia preuidit quoniam erunt, non destitit a seminando. Et qualiter utique haberet rationem ait inter spinas seminare super terram inuiam? In seminibus quidem et terram non utique haberet rationem. In animabus autem et doctrinis et multam habet hoc laudem. Agricola enim decenter incusaretur hoc faciens, non enim est petram effici terram, neque uiam non esse uiam, neque spinas non esse spinas. In rationabilibus autem non ita, possibile enim est petram transmutari, et fieri terram pinguem et uiam, non ultra conculcari, neque propositam esse transeuntibus uniuersis, sed esse aream pinguem, et spinas destrui, et multo potiri otio semina. Si enim non

Commented [ND21]: [fol.149va]

Commented [ND22]: incarnatione add. super lin.

Commented [ND23]: uel cum seminaret ipse add. super lin.

Commented [ND24]: [fol.149vb]

Commented [ND25]: secernit add. super lin.

Commented [ND26]: nata add. super lin.

Commented [ND27]: idemptitatem sermonis add. super lin.

Commented [ND28]: scindat terram add. super lin.

Commented [ND29]: eorum add. super lin.

Commented [ND30]: [fol.150ra]

Commented [ND31]: uel spatio add. super lin.

liceret, non utique seminasset hic. Si autem neque facta est in omnibus transmutatio, non ab eo qui seminavit, sed a nolentibus transmutari. Ipse enim quod suum est fecit. Si autem illi ea quae ab ipso erant prodiderunt, innoxius ipse qui tanta philanthropiam, id est amorem hominum ostendit. Tu autem illud intuere, quoniam non una perditionis est uia, sed diuersae et abinuicem distantes. Qui enim uiae assimilantur, sunt artifices et desides et negligentes. Qui autem in petram, qui imbecilliores sunt solum. Qui enim in petrosis seminatus est ait, hic est qui uerbum audit, et confestim cum gaudio accipit id. Non habet autem radicem in seipso, sed temporaneus est, ueniente autem tribulatione uel persecutione propter uerbum scandalizatus est. Omnis ait audientis uerbum ueritatis et non intelligentis uenit pernitiosus et rapit quod seminatum est de corde eius. Hic est qui secus uiam seminatus est, non est autem equale nullo uexante, neque impediente doctrinam marcesci, et temptationibus imminentibus. Qui autem spinis assimilantur, multo magis his non sunt digni uenia.

Et igitur non aliquid horum patiamur, uelemus desiderio ea que dicuntur, et continua memoria. Etsi enim rapiat diabolus, sed nos domini sumus, ut non rapiantur. Etsi enim siccantur semina, non ab aestu hoc fit. Non enim dixit, quoniam propter aestum siccata sunt, sed quia non habent radicem, etsi suffocentur quae dicuntur, non a spinis, sed a concedente ascendere eas. Possibile enim est si uolueris prohibere pernitiosam hanc germinationem, et diuitiis in id quod oportet uti. Propter hoc non dixit seculum, sed sollicitudo seculi. Neque diuitias sed deceptionem diuitiarum. Ne igitur rem causemur, sed consilium corruptum. Est enim et ditari, et non decipi, et in seculo hoc, et non suffocari sollicitudinibus. Etenim duas minorationes contrarias diuitiae habent, haec quidem intendens et obtenebrans sollicitudinem. Haec autem mollius faciens lasciuam, et benedixit deceptio diuitiarum, omnia enim quae diuitiarum sunt, deceptio sunt, nomen enim solum sunt, non de rebus posita. Etenim uoluptas et gloria et ornatus, et omnia haec fantasia quaedam sunt non rerum ueritas. Dicens igitur modos perditionis, postea ponit bonam terram, non dimittens diffidere, sed dans spem penitentiae, et monstrans quoniam possibile est ex predictis in hanc transmutari. Quamuis si et terra bona et seminator imus et semina eadem, propter quid hic quidem centum, hic autem sexaginta, hic autem triginta attulit? hic rursus ex natura terrae est differentia. Etenim ubi quidem bona est terra, multa in ipsa est, et differentia uides, non agricolam causam existentem, neque semina, sed suscipientem terram? Non a natura sed a consilio, sed et hic rursus multa est philanthropia, id est amor hominum, quoniam non unam expetit mensuram uirtutis, sed et primos commendat, et secundos non proicit, et terciis dat locum. Haec autem dicit, ut non estiment qui secuntur eum, quoniam sufficit auditio ad salutem. Et cur ait, non et alias posuit nequitas, puta concupiscentiam corporum uanam gloriam? Dicens sollicitudinem seculi huius et deceptionem diuitiarum uniuersa posuit, etenim et uana gloria et alia uniuersa seculi huius, et deceptionis diuitiarum sunt, puta uoluptas et gastrimargia et emulatio et uana gloria, et quecumque talia. Adiecit autem et uiam et petram, ostendens quoniam non sufficit a pecuniis erui solum, sed oportet et aliam uirtutem addiscere. Quid enim siquidem a pecuniis liber fueris, non fortis autem et mollis eris? quid autem si non fortis quidem non fueris, deses autem et negligens circa auditionem fueris? Neque enim sufficit pars una ad salutem nobis, sed opus est primum quidem auditione diligenti et memoria continua, deinde fortitudine, deinde pecuniarum contemptu et ereptione uniuersorum uitae huius negotiorum. Propter hoc primum posuit illud. Quia huius prioris est necessitas. Qualiter enim credent, si non audierint? Quemadmodum igitur et nos si non attenderimus ea quae dicuntur, neque discere poterimus quae oportet facere. Deinde fortitudinem et presentium contemptum. Haec igitur audientes undique nosmetipsos muniamus, attendentes his quae dicuntur, et secundum profundum immittentes

**Commented [ND32]:** uel que add. super lin.

**Commented [ND33]:** uel quae add. super lin.

**Commented [ND34]:** uel quod add. super lin.

**Commented [ND35]:** uel seminatum add. super lin.

**Commented [ND36]:** uel ad tempus add. super lin.

**Commented [ND37]:** uel hoc add. super lin.

**Commented [ND38]:** uel quod add. super lin.

**Commented [ND39]:** uel seminatum add. super lin.

**Commented [ND40]:** uel eueliente add. super lin.

**Commented [ND41]:** Morale xliiii. quoniam non sufficit nobis una uirtus ad saluandum, sed oportet omnes cum studio persequi *notum in marg.*

**Commented [ND42]:** uel permittente add. super lin.

**Commented [ND43]:** uel mentem add. super lin.

**Commented [ND44]:** [fol.150rb]

**Commented [ND45]:** molliorem add. super lin.

**Commented [ND46]:** uel mente add. super lin.

**Commented [ND47]:** [fol.150va]

**Commented [ND48]:** ponit add. super lin.

radices, et ab omnibus nosmetipsos expurgantes uitae huius negotiis, si autem haec quidem fecerimus, haec autem neglexerimus, nichil nobis erit amplius, si enim non ita, sed illo modo perimus. Quid enim differt, si non per diuitias sed per desidiam, si non per desidiam sed per fortitudinem non corrumpamur? Quia et agricola siue ita, siue illo modo perdiderit semen similiter luget. Ne itaque quia non omnibus perimus modis, mitigationem habeamus. Doleamus qualicumque perierimus modo, et comburamus spinas. Etenim suffocant uerbum, et noscunt hoc diuites. Qui neque ad haec solum, sed neque ad alia sunt utiles. Serui enim et captiui facti uoluptatum, et ad ciuilia sunt inutiles negotia. Si autem ad illa, multo magis ad ea quae sunt caelorum. Etenim duplex menti hinc iactura fit. Et a lasciuiam et a sollicitudine, horum enim et secundum seipsum quidem singulum, sufficiens est submergere hominem. Cum autem et utraque concurrerint, excogita quam magna fluctuatio fit. Et ne mireris si lasciuiam, spinas uocauit, tu enim ignoras inebriatus a passione. Qui autem sani sunt, sciunt quoniam spina magis pungit, et lasciuiam plus quam sollicitudo, consumit animas, et difficiliores tribuit dolores, et corpori et animae. Neque enim ita a sollicitudine aliquis quatitur, ut a plenitudine. Cum enim uigiliae, et temporum tensio, et capitis grauedines, et uiscerum dolores contineant hunc talem, excogita quantis spinis haec sunt difficiliora. Et quemadmodum spinae undecumque detineantur, sanguine afficiunt detinentes eas manus, ita utique et lasciuiam et pedibus et capiti et oculis, et omnibus simpliciter officit membris, sed et sicca et non fructifera est sicut spina, et multo plus illa contristat, et insolidis. Etenim et senectutem intemporaneam inducit, et obtundit sensus, et obtenebrat mentem, et caliginat intellectum acute uidentem, et dissolutum corpus facit, copiosiores stercoris apothecam operans, et multam congeriem malorum congregans, et maius onus et tumidius facis. Vnde et multi et continui sunt casus et spissa naufragia. Quid enim impinguas dic michi corpus? Numquid enim immolare te habemus, numquid apponere mensae? Aues bene impinguas, magis autem neque illas bene. Cum enim crassae fuerint, inutiles ad sanatiuam sunt dietam, tantum malum est lasciuiam, ut et in irrationabilibus iacturam ostendat. Etenim illa in lasciuiam inducentes et sibiipsis et nobis inutilia facimus. Etenim superfluitates indigestae et humidior putredo a pinguedine illa fiunt. Quae autem non ita nutriuntur, sed ut ita dicam in ieiunio educantur et moderata dieta, et laborant, et fatigantur, haec etsi ipsis et aliis utillima sunt, et ad cibum et ad alia uniuersa. Qui igitur illa comedunt, magis sani sunt. Qui autem his nutriuntur, eis assimilantur, pigri et egrotatiui effecti, et uincula difficiliora sibi operantes. Nichil enim ita corpori inimicum et nociuum est ut uoluptas. Nichil enim ita rescindit et suffodit id, et corrumpit ut luxuria. Ideo maxime aliquis et hinc ammirabitur, ob insipientiam eos, quoniam neque quantam in utribus habent alii ignoscantiam, tantam uolunt in seipsis hii monstrare. In illis enim uini uenditores non dimittunt plusquam oportet mittere, ut non scindantur. Miserum autem hii uentrem, neque hac dignum faciunt prouidentia, sed cum eum impleuerint et sciderint, usque ad aures, usque ad nares, usque ad fauces ipsas, implent uniuersa duplicem hinc spiritui, et dispensanti animal uirtuti constituentes angustiam. Numquid enim propter hoc tibi factae sunt fauces, ut usque ad os superius foetenti uino et alia corruptione eas impleas? Non propter hoc, o homo, sed principaliter, ut canas deo et sacras emittas orationes et diuinas legas leges, et proximis quae conferunt consilieris. Tu autem uelut propter hoc, eum acceperis, illum quidem neque paruo dimittis ipse uacare ministerio. Per omnem autem uitam pernitiouse huic eum subicis seruituti. Et uelut aliquis citharam accipiens aureas cordas habentem, et bene aptatam pro armonica melodia stercorei multo et luto suffoderit, ita et hii faciunt. Lutum autem non cibum uocauit, sed lasciuiam, et multam illam impudicitiam. Quod enim plus est quam oporteat, non adhuc cibum, sed iactura solum. Etenim uenter solus propter susceptionem ciborum solum factus est, os autem et fauces et lingua, et propter alia magis his necessaria. Multo magis

Commented [ND49]: pereamus *add. super lin.*

Commented [ND50]: uel tumorem *add. super lin.*

Commented [ND51]: ingluuie *add. super lin.*

Commented [ND52]: [fol.150vb]

Commented [ND53]: spina *add. super lin.*

Commented [ND54]: lasciuiam *add. super lin.*

Commented [ND55]: uel principalibus *add. super lin.*

Commented [ND56]: uel orreum *add. super lin.*

Commented [ND57]: [fol.151ra]

Commented [ND58]: uentrem *add. super lin.*

Commented [ND59]: uel missa *add. super lin.*

Commented [ND60]: facta sunt *add. super lin.*

autem neque uenter propter ciborum solum susceptionem, sed propter ciborum susceptionem moderatam. Et hoc ostendit clamans aduersum nos **decemmil**ia, cum uexauerimus eum per hanc superhabundantiam. Non clamat autem solum, sed et uindicata de **iniusticia**, ultimam a nobis expetit uindictam, et primum pedes punit, qui portauerunt, et attulerunt nos ad pernitiōsa illa conuiuia. Deinde manus quae ministrant **huic** ligans, pro eo quod tanta et talia attulerunt cibaria. Multi autem et ipsum os peruerterunt, et oculos et caput, et uelut famulus cum iniunctum ei fuerit aliquid uirtutem suam superexcedens, diffidens conuitiatur multotiens iniungenti, ita et hic uenter cum menbris his, et ipsum celebrum multotiens uiolenter occupans, perdit et corrumpit. Et hoc deus bene dispensauit, ex immoderantia tantam fieri iacturam. Vt cum uolens non philosophatus fueris, saltem nolens propter timorem tantae corruptionis, moderata sapere discas. Haec igitur scientes, **fugiamus** lasciuiam, diligentiam exhibeamus moderantiae, ut et corporis sanitate potiamur, et animam ab omni eruentes infirmitate, futuris fruamur bonis, gratia et filanthropia, id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

**Commented [ND61]:** mala add. super lin.

**Commented [ND62]:** sibi illata add. super lin.

**Commented [ND63]:** uentri add. super lin.

**Commented [ND64]:** [fol.151rb]